Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26092
Copyright: Admont, Benediktinerstift



laborat in opere dei plus mercedis accipiat in regno dei. Vnusquisque in qua uocatione uocatus est
in ea uirilitate sua operetur salutem. Omnibus celestis regni ianuam patefecit. sed meritorum qualitas
alium introducit. alium expellit. Quam miserum est hominem a gloria excludi sanctorum. et nisi cum
diabolo deputari flammis. peccatorum sarcina animam submergi in tartara. Iusticie abun
dantia ad celestem euehit gloriam. Frequentemus sepius ecclesiam xpi. audiamus in ea
diligenter uerba dei. et quod aure percipimus hoc corde retineamus. ut boni operis fructum
feramus in patientia. et fraterno amore unusquisque alium adiuuare studeat. Habemus preclara
beati patris nostri Rudberti habundanter exempla in omni karitatis officio. in fidei
feruore. in spei longanimitate. et perseuerantia totius bonitatis. Illius quem tanta celebramus
laude tanto diligimus amore. tota mentis intentione in omni conuersatione sancta sequamur
uestigia. quatinus uiam uite illius currentes. et nunc beatitudinis cum illo gloriam accipere
mereamur. Auxiliante nobis rege et nostro domino nostro Ihesu xpo. qui cum patre et spiritu sancto
uiuit et regnat in secula seculorum. amen. Lectio s. euangelii secundum MARCVM.

In illo tempore dixit dominus. Facilius est camelum per foramen acus transire. quam
diuitem intrare in regnum dei. Et rel. S. ex Bede presbiteri. Si facilius est camelum
in gentibus membris enormem angustum foramen acus penetrare quam diuitem in
trare in regnum dei. nullus ergo diues intrabit in regnum dei. Et quomodo uel in euangelio
matheus. Zacheus et ioseph. uel in ueteri testamento quia plurimi diuites intra
uerunt in regnum dei. Nisi forte quia diuitias uel pro nichilo habere uel ex toto
relinquere domino inspirante didicerunt. Nunquid enim dauid in regni diuitiis
confidebat. qui et de semet ipso canit. Quomodo unicus et pauper sum ego. et alios hor
tatur. diuitie si affluant nolite cor apponere. credo non ausus dicere. nolite
suscipere. Nunquid abraham domino substantiam pretulisse credibile est. pro quo unicum
ferire non dubitauit heredem. Altiore autem sensu facilius est xpm pati pro dilec
toribus seculi. quam dilectores seculi ad xpm posse conuerti. Cameli enim nomine se

Sermo ex commentario venerabilis Bede presbiteri de eadem lectione.